MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80180-8

AUTHOR:

SLUITER, HAN WILLEM

TITLE:

PROLEGOMENA AD DEMOSTHENIS...

PLACE:

AMSTELODAMI

DATE:

[1882]

Master Negative #

91-80180-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Sluiter, Han Willem,
Prolegomena ad Demosthenis orationem Androtioneam, specimen litterarium inaugurale quod ... submittet Janus Guilielmus Sluiter ... Amstelodami, Van Munster, [1882]
53 p. 23 cm.

Thesis, Amsterdam, 1882.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/13/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

no. 3

PROLEGOMENA

AD

DEMOSTHENIS ORATIONEM ANDROTIONEAM.

PROLEGOMENA

AD

DEMOSTHENIS ORATIONEM ANDROTIONEAM.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

J. W. R. TILANUS,

MED ET CHIR. DOCT. ET CHIR. PROF. ORD.,

pro gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS

ET PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS, PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

JANUS GUILIELMUS SLUITER

AMSTELODAMENSIS.

Die XIV mensis Martii A. MDCCCLXXXII, Hora III.

IN DOMO AD „FELICEM MERITIS".

AMSTELODAMI

APUD HEREDES H. VAN MUNSTER ET FIL.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS.

Inde ab initio, quum prima vice Demosthenis orationes legerem, tam jucundum illud studium mihi fuit, ut semper apud me constaret inde argumentum studiorum meorum primitiis petendum esse.

Neque diu quid e tanto acervo selegerem dubitavi. Nam de orationibus de Corona et de Falsa legatione aeque ac de Philippicis tot viri docti tam accurate quaesiverunt, ut ego non is essem, qui de iis quidquam proferrem, quod lectu dignum esset. Orationes in causis privatis habitae, aut propter argumenta minus mihi arridebant, aut spuriae erant, aut alii de iis jam explicate disputaverant. Quinque igitur orationes publicae — eas in Aristogitonem non inter Demosthenicas numero — supererant, quarum unam alteramve tractandam eligerem. Quum autem Androtionea truncata tradita esse mihi videretur neque a quoquam haec opinio hucusque prolata esset, prolegomena ad hanc orationem scribere constitui, ut illam suspicionem aliis quoque probare conarer.

Prolegomena mea in *quatuor capita* divisi. In *primo* quo anno et utrum ante an post ducum causam, in qua Timotheus condemnatus est, habita sit inquiram; in *secundo* omnia, quae ad reum et ad accusatores pertinent componam; in *tertio* de litis causa disputabo, simul quantum valeant utriusque argumenta perpendens et in *quarto* tandem, quid de orationis compositione sentiam et cur finem, sicut Demosthenes scripserit, periisse contendam, ostendere cupio.

CAPUT PRIMUM.

DE ORATIONIS TEMPORE.

De tempore orationum, in causis privatis habitarum, saepe disceptatum est; sed quibus annis *αἱ δημηγορίαι* et *οἱ δημόσιοι λόγοι* scripti sunt, fere constat. Quod ad Androtioneam, de tempore nulla dubitatio superesse potest; nam, et quod de eo Dionysius tradidit et quae in ipsa oratione legimus, optime conspirant. Ante Androtioneam multas alias conscripsit Demosthenes, quarum eas in tutores Aphobum et Onetorem primas fuisse omnibus notum est; sed nostra prima est, quam in causa publica confecit. Qua de re et quod sibi cum Isocratis discipulo certandum esset, summa arte eam elaboravit [1]).

1) Cf. Ruhnkenium in Hist. Crit. Or. Graec. LXXIV. Scholia ad Hermogenem, p. 401: *ἐπετήδευσεν ὁ Δημοσθένης κεκαλλωπισμένον ἐργάσασ-*

Sed jam Dionysii testimonium cognoscamus. Scribit in epistola ad Ammaeum cap. 4: *δημοσίους λόγους ἤρξατο γράφειν ἐπὶ Καλλιστράτου ἄρχοντος εἰκοστὸν καὶ πέμπτον ἔχων ἔτος· καί ἐστιν αὐτοῦ πρῶτος τῶν ἐν δικαστηρίῳ κατασκευασθέντων ἀγώνων ὁ κατ' Ἀνδροτίωνος, ὃν γέγραφε Διοδώρῳ τῷ κρίνοντι τὸ ψήφισμα παρανόμων.*

Hic locus orationem nostram Callistrato archonte, id est anno $35\frac{5}{4}$ (Ol. 106. 2), habitam esse, nos docet; neque multo post anni initium, aestate anni 355 Androtio accusatus esse videtur [1]); nam de coronando senatu praecedentis anni, Ol. 106, agebatur, et rogatio de hac re sub finem illius anni ab Androtione ad populum lata et ab eo probata erat; neque diu, antequam Androtionem accusaret Diodorus, qui pessime eum oderat, moratus erat.

Quae Plutarchus Dem. Cap. XV. et Gellius XV. 28. de aetate, quam Demosthenes haberet quum hanc orationem scriberet, nobis narrant, ad hujus orationis tempus definiendum non magni momenti sunt, quia de anno natali Demosthenis neque olim constabat, neque nunc constat. Dionysium l. c. de aetate Demosthenis erravisse probabile est; sed hanc quaestionem non attingam. Quia enim post tot virorum doctorum accurata et ingeniosa studia

---

θαι τὸν κατ' Ἀνδροτίωνος, ἀντιφιλοτιμούμενος πρὸς Ἰσοκράτειον ῥήτορα παρίσοις ἐπιχρώμενον κατὰ ζῆλον τοῦ διδασκάλου.

1) Cf. A. Schaeffer, Demosthenes und seine Zeit I. 326.

adhuc sub judice lis est, tacere quam nihil dicere malo. Hoc solum addam, Schaefferi [1]) aliorumque virorum doctorum opinionem, Demosthenem anno $38\frac{4}{3}$ (Ol. 99. 1.) natum esse, verisimillimum mihi videri, praesertim post disertum Hyperidis testimonium in oratione in lite Harpalica anno $32\frac{4}{3}$ (Ol. 114. 1.) contra Demosthenem habita ubi Demosthenem inter *τοὺς ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔτη* refert [2]).

Sed satis est de hac re et ad nostram orationem redeamus. Quod Ulpianus ad orationis initium adnotavit: *οὗτος ὁ λόγος μετὰ τοὺς Φιλιππικοὺς πρῶτός ἐστι τῶν δημοσίων*, non valde perspicue dictum est. Hoc Ulpianus significare voluisse videtur, post orationes Philippicas, quae propter rem, quae in iis tractatur, primum tenent locum, ante ceteras Androtioneam ponendam esse, quod prima oratio publica sit, quam Demosthenes confecerit [3]).

Dionysii igitur locus unicum de orationis tempore testimonium est, et nunc quid ex ipsa oratione de hac re discere possimus videndum est. In ea non solum nihil est quod Dionysii opinioni repugnet, sed etiam nonnulla illum annum confirmant.

---

1) Id. Ib. III Beilage II.

2) Hyperides, in Dem., Fragm. IX. Col. XIX.

3) Scholiasta codicis Monacensis ad initium iisdem verbis usus est, *πρῶτος* tamen in *δεύτερος* mutato, quod sic explicari poterit: orationes Philippicae primum locum tenent, et Androtionea post illas secundum occupare debet.

Cf. Funkhaenel, Prolegomena ad orationem Androtioneam p. 1.

In § 49, ubi de Androtionis τῶν εἰσφορῶν exactione dicit orator, haec legimus: καὶ διὰ τὸν καιρὸν ὃς ἦν τότ' ἔχων ἐξουσίαν, τοῖς μὲν κειμένοις νόμοις περὶ τούτων οὐκ ᾤετο δεῖν χρῆσθαι — ψηφίσματα δ' εἶπεν ἐν ὑμῖν δεινὰ καὶ παράνομα.

Καιρὸν illum nihil esse potuisse nisi bellum, jam vidit Ulpianus [1]), quem omnes interpretes secuti sunt neque de quo bello orator dicat conjicere difficile est. Etenim ex illius exactionis descriptione non longum tempus inter eam et nostram orationem intercessisse videmus, neque cum alio tempore melius haec cura pecuniae cogendae convenit, quam cum initio belli socialis. Magnum periculum tunc urbi intentabatur et Athenienses ad classem parandam, qua socios, qui desciverant, rursus subjicerent, omnes vires intendebant. Illo tempore lata est Periandri lex [2]) de trierarchia, secundum quam mille ducenti divitissimi cives in viginti symmorias dividebantur ut trierarchiam curarent. In idem tempus Satyri exactiones, quas orator § 63 nostrae orationis memorat, referendas esse probabile est [3]). Eodem fere tempore eas factas esse, quo Androtioneas, quum ab iisdem hominibus pecuniam exactam esse dicat orator, satis apparet.

---

1) ad p. 608. 3. πόλεμος γὰρ ἦν καὶ χρεία χρημάτων.

2) V. Boeckh. Staatshaushaltung I. 721. Seewesen 177. Schaeffer I. 147.

3) Cf. Schaeffer I. 326.

Quod si igitur καιρὸν illum revera bellum sociale fuisse credere possumus, nostram orationem post pacem, quae initio anni 355 (Ol. 106. 1.) facta est, scripsit Demosthenes, quod optime cum tempore a Dionysio tradito convenit.

Alium locum [1]), qui ad idem fere tempus orationis nos ducit, legimus, ubi de expeditione in Euboeam, quam Timotheus anno 357 (Ol. 105. 3.) susceperat et feliciter ad finem perduxerat, tanquam πρῴην facta loquitur orator.

Quam autem Schaefferus [2]) inde, quod Demosthenes illam expeditionem cum laude extollit, conclusionem fecit, probare nequeo. Mentionem enim honorificam illius expeditionis et hoc loco, et § 72 commemoranda inscriptione illa: Εὐβοεῖς ἐλευθερωθέντες ἐστεφάνωσαν τὸν δῆμον, eam ob causam factam esse perhibet, ut populum Timotheum absolvendum esse moneret in lite quam Antiphon et Chares in eum paravissent.

Causam enim ducum ante nostram orationem habitam esse credo, quod ut demostrem, paullo accuratiᵛ. et de bello Sociali [3]) et de hac causa vi-

---

1) § 14. ἴσθ' ὅτι πρῴην Εὐβοεῦσιν ἡμερῶν τριῶν ἐβοηθήσατε καὶ Θηβαίους ὑποσπόνδους ἀπεπέμψατε.

2) I. 327.

3) Cf. de hoc bello: Rehdantz. Vitae Iphicratis, Chabriae et Ti mothei. Schaeffer. I. 147 seq. et Grote XI. 310 seq.. Fontes quos habemus nec multi sunt, nec perboni, quare de multis rebus adhuc dubitatur; sic verbi causa de loco ubi secunda pugna navalis com-

dendum est. Anno 357 (Ol. 105. 4.) Chii Coi Rhodii Byzantini ab Athenis defecerunt. Non sine multa opera classe parata, Chares Chium mittitur ut insulam rursus subjiciat. Male ibi res geritur et Chabrias, qui trierarchus in classe erat, moritur. Secunda classis Iphicrate, Menestheo et Timotheo ducibus mittitur, quae cum Charetis classe conjuncta Samum, a Chiis oppugnatam, contendit. Sine pugna Chii ab oppugnatione desistunt. Deinde Athenienses per Hellespontum Byzantium petentes, sociorum classi apud Embata, locus qui est ad fretum inter Chium et terram continentem, obviam veniunt. Jamque proximum erat ut proelio navali decerneretur, cum subito ingens ventorum procella ingruens coepta interverteret. Dumque nihilominus etiam adversante natura Chares confligendum statuit, Iphicrates autem et Timotheus propter vim tempestatis refragantur: Chares militum fidem obtestatus, collegas proditionis incusat, perque litteras populo significat ex industria proelium ab illis destitutum. Iphicrates, Menestheus et Timotheus revocantur et Chares praeturam totius classis adipiscitur. Hic ut pecuniam ad stipendia solvenda colligeret, cum Artabazo, satrapa in Asia minore, qui a rege defecerat, se conjunxit et de regis exer-

missa est nondum constat. Fontes sunt: Diod Sic. XVI. 7. et 22., Nep. Iph. 3. et Tim. 3. et Polyaenus III. 9. 29. quem secutus sum quod attinet ad locum ubi depugnatum est.

citu victoriam reportavit. Magnam his rebus gestis pecuniae summam colligit, quod initio Atheniensibus pergratum accidit; sed cum postea per legationem rex cum civitate de Charetis injuria expostularet, Charetem revocarunt, aliam opinionem amplexi, et pacem cum sociis fecerunt, qua pace tota societas dissoluta est.

Haec fere sunt omnia, quae de rebus gestis in bello sociali scimus; de praetorum lite autem quae post pugnam apud Embata secuta est nihildum dixi, quia ulterius quaerendum, quo anno acta sit.

Ex Isocrate [1]), qui ceteris accuratius de ipsa lite dixit, nihil de tempore apparet, itaque Dionysius Halicarnasensis adeundus est, qui duobus locis hanc causam memorans, duos diversos annos quando acta esset tradidit. In judicio de Dinarcho, de Apharei oratione agens, in fine haec dicit: εἴρηται γὰρ ἔτι τοῦ στρατηγοῦ Τιμοθέου ζῶντος κατὰ τὸν χρόνον τὸν τῆς μετὰ Μενεσθέως στρατηγίας ἐφ' ᾗ τὰς εὐθύνας ὑποσχὼν ἑάλω. Τιμόθεος δὲ τὰς εὐθύνας ὑπέσχηκεν ἐπὶ Διοτίμου τοῦ μετὰ Καλλίστρατον· ὅτε καὶ — — — (hunc hiatum probabiliter Valesius per ἐτελεύτησεν explevit). Altero loco, capite XII. in judicio de Lysia,

1) περὶ ἀντιδόσεως. 129. διδόντος εὐθύνας αὐτοῦ [Τιμοθέου] καὶ τὰς μὲν πράξεις Ἰφικράτους ἀναδεχομένου, τὸν δ' ὑπὲρ τῶν χρημάτων λόγον Μενεσθέως, τούτους μὲν ἀπέλυσε [ἡ πόλις], Τιμόθεον δὲ τοσούτοις ἐζημίωσε χρήμασιν, ὅσοις οὐδένα πώποτε τῶν προγεγενημένων.

de defensione Iphicratis, falso Lysiae adscripta, disputans, haec scribit: Καὶ παραθεὶς τοὺς χρόνους οὐκ ὀλίγοις ἔτεσιν εὗρον ὑστεροῦσαν τῆς τελευτῆς τοῦ ῥήτορος, ἀλλὰ καὶ εἴκοσιν ὅλοις. ἐν γὰρ τῷ συμμαχικῷ πολέμῳ τὴν εἰσαγγελίαν Ἰφικράτης ἠγώνισται, καὶ τὰς εὐθύνας ὑπέσχηκε τῆς στρατηγίας, ὡς ἐξ αὐτοῦ γίγνεται τοῦ λόγου καταφανές· οὗτος δὲ ὁ πόλεμος πίπτει κατὰ Ἀγαθοκλέα καὶ Ἐλπινίκην ἄρχοντας.

Secundum igitur priorem locum causa dicta est 35⁴/₅ a. C. (Ol. 106. 3) et secundum alterum bello sociali nondum finito, itaque 356 a. C. (Ol. 106. 1).

Plerique viri docti, Rehdantzius, Schaefferus, alii, priori loco majorem auctoritatem tribuunt, secundum non magni facientes, falso tamen nisi argumento ut mihi videtur. Schaefferus I. 154[n] hoc dicit: „es ist aber klar dass es Dionysios an der „zweiten Stelle nur um eine ungefähre Zeitan„gabe zu thun ist: ihm genügt die beziehung auf „den Bundesgenossenkrieg um zu beweisen, dass Ly„sias die Rede nicht mehr geschrieben haben könne." Si revera Dionysius id solum fecisset, quod Schaefferus dicit, satis sane fecisset; sed forte fortuna accurate dicit ex ipsa oratione, eam ἐν τῷ συμμαχικῷ πολέμῳ habitam esse apparere et quibus annis hoc bellum gestum itaque oratio habita sit addit. Itaque cum Grotio statuendum mihi videtur, facilius Dionysium annum Timothei mortis cum anno accusationis confundentem, in nomine archontis errare potuisse, quam in conclusione,

facta ex ipsa Iphicratis defensione; illam enim orationem, ut eam non Lysianam esse demonstraret, accurate legerat.

Diodorus Siculus quoque statim post pugnae descriptionem haec addit: οἱ δ' Ἀθηναῖοι παροξυνθέντες καὶ κρίσιν Ἰφικράτει καὶ Τιμοθέῳ προθέντες ἐζημίωσαν αὐτοὺς πολλοῖς ταλάντοις καὶ τῆς στρατηγίας ἀπέστησαν et deinde quae Chares cum Artabazo egerat narrare pergit. Diodorum hoc loco de Iphicrate, qui non condemnatus sed absolutus est, errare, jam apud Isocratem l. l. vidimus; melius et accuratius hanc rem tractavit Nepos in Vita Iphicratis, Cap. 3: „[Iphicrates] causam capitis semel dixit *bello sociali*, simul cum Timotheo eoque judicio est absolutus"; et in Vita Timothei, Cap. 3: „male re gesta compluribus amissis navibus eo, unde erat profectus Chares se recepit litterasque Athenas publice misit, sibi proclive fuisse Samum capere, nisi a Timotheo et Iphicrate desertus esset. Populus acer, suspicax, ob eamque rem mobilis, adversarius, invidus domum revocat: accusantur proditionis. Hoc judicio damnatur Timotheus lisque ejus aestimatur centum talentis. Ille odio civitatis coactus Chalcidem se contulit".

Itaque is, quem Nepos sequitur, duces statim post revocationem bello nondum finito accusatos esse scripsisse videtur. Neque inde quod in nostra oratione ut supra vidimus, bis de Timothei in Euboeam expeditione mentio facta est, quidquam

effici potest. Saepe enim et Demosthenes [1]) et alii oratores [2]) hanc expeditionem, quae sola fere miseris illis temporibus felicem exitum habuit, summa cum laude memorant. Non statim autem post reditum Athenas duces accusatos esse posse, contendit Schaefferus, quod Chares unus esset accusatorum et ille priusquam Athenas rediret, cum Artabazo conjunctus eas res gesserit, de quibus jam vidimus. Nusquam tamen Charetem accusatorem fuisse invenimus, nisi apud Polyaenum III. 9. 29: Ἰφικράτης προδοσίας δίκην ἔφευγεν· Ἀριστοφῶν καὶ Χάρης ἐδίωκον· αἰτία δ' ἦν, ὅτι ἄρα περὶ Ἔμβατα δυνάμενος ἑλεῖν, τοὺς πολεμίους οὐ διεναυμάχησεν.

Falsam autem conclusionem fecisse videntur, qui ex hoc loco Charetem, quum causa ducum ageretur, Athenis fuisse satis apparere dicunt. Perbene enim Polyaenus Charetem absentem διώξαι dicere potest, quum ille primus, ut apud Diodorum et Nepotem jam vidimus, per litteras publicas duces accusaverit. Ceteris locis, ubi de hac causa legimus, itidemque in fragmentis, quae nobis ex Iphicratis defensione servata sunt, semper de Aristophonte tanquam de unico accusatore sermo

---

1) Dem. de Chers. § 74., pro Megap. § 14., Phil. I. § 17., Ol. I. § 8., Mid. § 174. et § 161. et de Cor. § 99.. E duobus ultimis locis in hac expeditione Demosthenem trierarchum voluntarium fuisse apparet, quod etiam aliam causam crebrae illius mentionis offert. Cf. Schaeffer. I. 143. et 410.

2) Isocr. Phil. 53. Aesch. in Ctes. § 85.

fit [1]). De uno fragmento accuratius videndum est. Legimus apud Plut. Apophth. Iph. 4: κρινόμενος δὲ θανάτου πρὸς τὸν συκοφάντην „οἷα ποιεῖς ὤνθρωπε, εἶτε, πολέμου περιεστῶτος τὴν πόλιν περὶ ἐμοῦ πείθων βουλεύεσθαι καὶ μὴ μετ' ἐμοῦ." Non recte hunc locum Schaefferus explicavit, πολέμου περιεστῶτος τὴν πόλιν vertens per „bei drohender Kriegsgefahr"; non enim dici potest nisi de bello jam orto, eodem modo quo Latini *circumstante bello* utuntur. [2]). Schaefferus autem sic vertere debebat ne hic locus cum ejus opinione de anno, quo causa acta esset, certaret. Anno enim 354, quo illa verba dicta esse contendit, nullum bellum Athenienses gerebant; quam-

---

1) Dinarchus I. § 14. ὅτι χρήματ' αὐτὸν [Τιμόθεον] Ἀριστοφῶν ἔφη παρὰ Χίων εἰληφέναι καὶ Ῥοδίων.

Plut. de exsilio. XV. οὐδείς ἐστιν οὕτως ἀφιλότιμος οὐδ' ἀγεννής, ὃς μᾶλλον ἂν ἐβούλετο εἶναι — Ἀριστοφῶν ὁ κατηγορήσας ἢ Τιμόθεος ὁ μεταστὰς ἐκ τῆς πάτριδος.

Arist. Rhet. II. 23. p. 1398. 4. Ἰφικράτης πρὸς Ἀριστοφῶντα, ἐπερόμενος, εἰ προδοίη ἂν τὰς ναῦς ἐπὶ χρήμασιν· οὐ φάσκοντος δὲ »εἶτα, εἶπεν, σὺ μὲν ὢν Ἀριστοφῶν οὐκ ἂν προδοίης, ἐγὼ δ' ὢν Ἰφικράτης;"

Plutarchus. Reip. ger. praec. V. ὅπως — μηδ' ὥσπερ Ἰφικράτης ὑπὸ τῶν περὶ Ἀριστοφῶντος καταρρητορευόμενος λέγῃ »Βελτίων μὲν ὁ τῶν ἀντιδίκων ὑποκριτής. δρᾶμα δὲ τοὐμὸν ἄμεινον."

Stob.. Serm. 13, 18. Τιμόθεος ὁ Κόνωνος πρὸς Ἀριστοφῶντα τὸν Ἀζηνιέα πάντων ἄριστα ἔχοντα λόγον εἶπεν· ᾧ ἱκανὸν οὐδὲν, τούτῳ γε αἰσχρὸν οὐδέν.

2) Cf. Livium. III. 38. XXXIV. 27.

Thuc. IV. 55. 2. de Lacedaemoniis post Pylum et Cythera capta dicit: πανταχόθεν σφᾶς περιεστῶτος πολέμου; eodem modo utitur IV. 34. 3. κινδύνου τε πανταχόθεν περιεστῶτος.

quam bellum cum rege Persarum, ut ex Demosthenis oratione de Symmoriis illo anno habita videmus, jam instabat. Optime tamen illa verba quadrant in annum 356 pace cum sociis nondum facta.

Multae igitur causae sunt, quae nos cogunt, ut duces statim post reditum *εὐθύνας ὑπέχοντας* accusatos esse statuamus; quod etiam per se, etiamsi nulla de hac re veterum testimonia haberemus, probabile esset. Quomodo enim fieri potuisset, ut diutius quam duos annos Athenienses, infelici pugnae apud Embata exitu exasperati, nullo modo persequerentur, quos hujus cladis causas fuisse crederent? Antea quoque in nobilissima illa ducum causa, quae post pugnam ad Arginusas acta est, statim postquam Athenas redierunt duces, accusati et brevi post condemnati sunt.

CAPUT SECUNDUM.

DE PERSONIS.

Demosthenes hanc orationem eamque in Timocratem Diodoro scripsit civi Atheniensi, qui ceteroquin se non multum in rebus publicis versatum esse ipse fatetur [1]); sed Androtionem, odio ductus, saepe cum Euctemone conjunctus in judiciis persecutus est. Illius odii causam hanc fuisse nobis narrat Demosthenes [2]). Androtion Diodori avunculum *ἀσεβείας*

1) In Tim. § 6. *ἵνα δ'ὑμῶν μηδεὶς θαυμάζῃ τί δή ποτ' ἐγὼ μετρίως, ὥς γ'ἐμαυτὸν πείθω, τὸν ἄλλον χρόνον βεβιωκὼς νῦν ἐν ἀγῶσι καὶ γραφαῖς δημοσίαις ἐξετάζομαι, βούλομαι μικρὰ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν.*

2) In Andr. § 2. Minus accurate eaedem res in Timocratea § 7 narrantur; tam inaccurate autem, ut suspicio mihi nata sit textum illius paragraphi corruptum esse. Dicere ibi Demosthenes videtur Diodorum ipsum, quod patrem interfecisset, *ἀσεβείας* esse accusatum, quod autem nunquam factum esse potest. Neque enim qui patrem interfecerat hoc modo persequi solebant, neque parricida,

accusavit, quod Diodoro, qui patrem interfecisset, familiariter utebatur. Avunculus autem in hac lite absolutus est et Androtion ne quintam quidem suffragiorum partem tulit et mille drachmas solvere debuit. Quum igitur multis hoc odium nota res esset, sapienter Diodorus non dissimulavit, ἵνα μὴ ἁλοίη ἐν τοῖς φανεροῖς οὕτω ψευδόμενος [1]).

Euctemon, alter accusator, aliam odii causam habebat. Quum enim sorte ἐκλογεὺς factus esset, ad τὰς εἰσφορὰς exigendas, ut hoc ei munus detraheretur, Androtion effecit, publicam pecuniam eum retinere mentitus [2]). Reiskii conjectura, quam ceteri editores approbaverunt, Euctemonem Diodori avunculum fuisse, falsa mihi videtur, nam si γραφὴ ἀσεβείας inimicitiarum causa fuisset, Demosthenes scribere non potuisset: οὗτος [Εὐκτήμων] μέν γε εἰς χρήματα καὶ τὸ παρ' ὑμῶν ἀδίκως ἐκπεσεῖν ἐπεβουλεύθη.

Nihil nisi hoc de accusatorum rebus ante nostram orationem nobis innotuit, sed ex Timocratea, quam itidem Demosthenes Diodoro scripsit, quaedam de inimicitiis, quae postea inter eos et Androtionem intercesserunt, cognovimus.

---

nisi ab affine hominis interfecti ἐντὸς ἀνεψιότητος accusari poterat. Cf. Schol. ad Dem. 593. 14.. Meier und Schömann, der Attische Process p. 164. et 302.. In Timocratea, § 7., igitur inter κατασκευάσας et εἰς ἀγῶνα excidisse credo haec vocabula: οὐκ ἐπ' ἐμὲ ἀλλ' ἐπὶ τὸν θεῖόν μου, γράψας ἀσεβεῖν ἐμοὶ συνιόντα εἰς ταὐτὸ ὡς πεποιηκότι ταῦτα, quae in Androtionea, § 2., leguntur.

1) Schol. ad initium Orationis in Androtionem.

2) In Andr. § 7. et scholia., ib. § 48., in Tim. § 7. et § 160.

Sub finem anni 355 a. C. [1]), quo nostra oratio habita est, Androtion, Glaucetes et Melanopus legati ad Mausolum Cariae tyrannum mittuntur in trireme, cujus trierarchi erant Archebius et Lysithides. Hac trireme navi e Naucratide Aegyptias merces vehenti, obviam veniunt eamque capiunt et Piraeum ducunt. Aegyptii, ut sibi navis et merces reddantur, rogant; sed frustra. Populus enim Aegyptios hostes judicans, praedam bellicam esse decernit. Neque tamen a trierarchis, neque a legatis ulla pecunia — navis et merces novem talentis et triginta minis aestimabantur — redigitur in aerarium. Quum igitur Aristophon rogationem ad populum ferret, ut ζητηταὶ crearentur apud quos, qui pecuniam publicam apud se celatam haberent, accusarentur, statim Euctemon trierarchos illos, quod pecuniam Naucratiticam haberent accusat, ad senatum se convertit et ut προβούλευμα in suam sententiam fieret effecit. Comitiis convocatis Euctemon, quae facta sunt, narrat et populo leges in memoriam revocat, quae pecuniam illo modo coactam in aerario deponere jubent. Androtion autem et Glaucetes et Melanopus insontes esse trierarchos et, apud se pecuniam illam esse quaerendam clamant et quum tandem tacerent, tum demum Euctemon sententiam suam dicit: pecuniam a trierarchis esse exigendam, illos tamen

---

1) In Tim. § 11—16. et § 117. Argum II. Timocrateae. Schaeffer I. 330.

ab iis, qui revera pecuniam haberent, petere posse et si quid de hac re dubitaretur, ad arbitros rem esse deferendam eique, qui tunc victus esset, pecuniam esse solvendam. Contra leges Euctemon psephisma suum tulisse accusatur, sed in judicio absolvitur. Tres igitur legati jam ipsi se pecuniam illam habere confessi, qua de re igitur nulla διαδικασίᾳ amplius opus erat, aerarii debitores erant ut, nisi solverent, secundum leges contra eos ageretur. Hoc ne fieret Timocrati cuidam persuaserunt, ut legem ferret, secundum quam, εἴ τινι τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ προστετίμηται κατὰ νόμον ἢ (lege κἂν cum Cobeto) κατὰ ψήφισμα δεσμοῦ ἢ τὸ λοιπὸν προστιμηθῇ [1]) vades dare ei liceret, nona prytania se soluturum esse pollicenti; sed nisi tunc solvisset, vadium bona publicarentur et ipse in carcerem conjiceretur. Haec lex a populo probatur et in comitiis perfertur, sed Timocrates ab Euctemone et Diodoro παρανόμων accusatur. Diodoro Demosthenes iterum accusationem comparavit, quae oratio nobis servata est. Quis hujus litis exitus fuerit non traditur; sed e clarissima illa oratione in Timocratem [2]) legatos pecuniam debitam, antequam causa acta sit, solvisse discimus. Itaque Androtionem modo ab ambobus et ab Euctemone et a Diodoro, modo a solo Euctemone, aut solum aut cum iis simul, qui ab ejus stabant partibus, accusari videmus.

1) In Tim. § 79.

2) § 187—189. et § 196. seq.

Haec fere — nec multa sane — nobis sunt de accusatoribus nota. Plura quidem, etsi haec quoque pauca sunt, nobis de Androtione tradiderunt et Demosthenes et alii scriptores. Haec nunc componemus, ut quid de eo scire possimus discamus.

Androtion filius est Andronis [1]), qui fortasse idem est cum eo, qui quamquam ipse τῶν τεττερακοσίων unus, Antiphontem accusavit [2]). Hoc autem in incerto posito Andronem χρήματα ὀφλόντα τῷ δημοσίῳ in carcerem esse conjectum exque eo aufugisse, pecunia debita non soluta, certius scimus, Demosthene ipso nobis narrante, Androtionem infamem esse hac re probaturo [3]). Isocratis discipulus Androtion fuit et τῶν Ἰσοκράτους ἑταίρων ἐπίσημον eum appellat Ulpianus [4]). Demosthenes ipse haec de eo testatur: ἔστι γὰρ τεχνίτης τοῦ λέγειν καὶ πάντα τὸν βίον ἐσχόλακεν ἐνὶ τούτῳ [5]). Quam longa tota illa vita fuerit alio loco [6]) nos docet, ubi eum diutius triginta annis πεπολιτεῦσθαι narrat, e quo loco Androtionis aetatem quodammodo definire possumus.

1) Cf. Suidam s. v. Ἀνδροτίων Ἄνδρωνος Ἀθηναῖος ῥήτωρ καὶ δημαγωγός, μαθητὴς Ἰσοκράτους. Cf. Ruhnkenium. Hist. Crit. Or. Gr. LXXIV. Schaeffer I. 316.

2) Cf. Harpocrationem. s. v. Ἄνδρων. Certe idem est cum Androne Androtionis filio, quem memorat Plato in Protagora c. VII. p. 315. c. inter Hippiae asseclas.

3) In Andr. § 33. seq, 56. et 68. in Tim. § 125.

4) ad p. 594. 15.

5) In Andr. § 4.

6) Ib. § 66.

Quum enim nostra oratio 355 a. C. dicta sit et Athenienses ante annum vigesimum in publicum prodire non solerent, Androtion ante annum 405 a. C. natus est et quum reus esset, plus quam quinquaginta annos habebat.

De Androtionis vita privata nihil nobis traditur, nisi quod Demosthenes eum ἡταιρηκέναι [1]) et αἰσχρῶς βεβιωκέναι [2]) dicit, quibus tamen vulgi rumoribus nulla fides habenda est. Ex ipsa rei natura sequitur plura nos de vita publica audire, sed ne haec quidem multa sunt: unius enim anni facta discimus, etiamsi diutius triginta annis eum in rebus publicis versatum esse sciamus. Annum illum probabiliter primum vel secundum fuisse belli socialis, supra jam vidimus [3]). De multis annis ante illud bellum nihil legimus, nisi quod Demosthenes eum nunquam aut praetorem aut oratorem accusasse dicit [4]). Restat igitur hoc solum, ut, quae de ejus vita publica illius anni scire possumus, accurate cognoscamus.

Androtion factionis fuisse videtur Aristophontis; eo enim tempore, quum ille Callistrato expulso, (361 a. C. Ol. 104. 3.) principem locum in Republica teneret, satis auctoritatis habuit, ut eas res, de quibus nunc agemus, faceret.

---

1) Ib. § 21.
2) Ib. § 32.
3) v. p. 6.
4) In Andr. § 66.

Nausinico archonte (376 a. C. Ol. 100. 3.) novo censu habito, tributum usitato nomine εἰσΦορῶν, quod trecenta talenta ferret, imperatum est [1]). Quum initio belli socialis ad naves aliasque res parandas multa pecunia opus esset, solito more ἐκλογεῖς [2]) sorte ducti sunt, qui quatuordecim talenta, quae nondum soluta erant, exigerent. Inter illos ἐκλογέας Euctemon erat; sed Androtion eum quod pecuniam exactam apud se retinuisset, accusavit, se aut hoc probaturum, aut de suo soluturum esse dicens. Postea tamen nihil, ut probaret, fecit neque ab Euctemone pecuniam exegit.

Hoc tamen accusatione sua effecit, ut κληρωτὴ illa ἀρχὴ solveretur et decem [3]) alii magistratus extraordinarii, qui τας εἰσΦορας exigerent, χειροτονίᾳ [4]) crearentur, inter quos et ipse Androtion et Timocrates fuerunt. Tam invidiose decemviri illi exactiones fecerunt, ut odio Atheniensium ducti illud munus suscepisse viderentur; ψηΦισμα tulit Androtion, ut οἱ ἕνδεκα et οἱ ἀποδέκται et οἱ ὑπηρέται [5]) se sequerentur, quibuscum conjuncti tam vehemen-

---

1) Cf. de hoc Nausinici tributo egregiam illam expositionem Boeckhii I. 667 seq.
2) V. Harp. s. v., Bekkeri Anecd. I. 190. 20., Boeckh. I. 212. De tota Androtionis exactione cf. in Andr. § 48--68 et in Tim. § 160--175, ubi paucis mutatis eadem leguntur.
3) In Tim. § 162 et § 199.
4) In Andr. § 60 et 62.
5) In Tim. § 164.

ter in cives et inquilinos grassati sunt, ut trigintaviros etiam superbia et impudentia anteirent.

Hi enim iis, qui domi se tenebant, nihil mali afficiebant et praesertim accusabantur, quod cives e foro in carcerem ducerent. Androtion autem et collegae unicuique ipsius domum carcerem fecerunt, undecimviros in domus immittentes. Tantopere cives decem illos exactores timebant ut alii, quum appropinquarent, per tectum ad vicinos fugerent, alii sub lectum se celarent, ne in carcerem traherentur [1]). A captis autem miseris illis debitoribus duplices [2]) εἰσφοραὶ solvendae erant; nam semper jure Attico iis, qui pecuniam aerario debitam ante nonam prytaniam non solvissent, summa pecuniae debitae duplicabatur [3]). Ne in unum quidem diem sponsores accipere volebant [4]) et etiam homines, qui nihil debebant, undecimviris tradebant [5]). Eo usque impudentiae iverunt, ut meretrices tanquam pignora pro collatione caperent [6]). Neque sic quidem, tanta vi in exactionibus usi, plus quam septem [7]) talenta colligere potuerunt, id est dimidiam tantum partem talentorum, quae solvenda su-

1) In Andr. § 53.
2) In Tim. § 169 et 198.
3) Cf. Boeckh. I. 506—516.
4) In Tim. § 169 et 197.
5) In Andr. § 57.
6) In Andr. § 56.
7) In Andr. § 44. In Timocratea de quinque tantum talentis dicitur.

pererant, neque a quoquam plus quam minam exegerunt [1]).

Eodem fere tempore, quo hoc extraordinario munere fungebatur, ei mandatum est, ut coronas — quas Athenienses ob victorias aut ipsi fecerant aut ab aliis Graeciae populis, quos in bello adjuverant, acceptas in Parthenone deposuerant et custodiverant — conflandas indeque pocula aliaque vasa exigui pretii paranda curaret; atque ita deam illis donis privavit, nomina eorum, qui Atheniensibus coronas dedicaverant, delevit suumque nomen novis vasis inscripsit et civitati gloriam, qua ex his monumentis fruebatur, abstulit.

Quo tamen munere fungens hoc fecerit, quaeritur. Boeckhius quem Funkhaenelius et Schaefferus [2]) — hic tamen dubitanter — secuti sunt eum ταμίαν τῆς θεοῦ fuisse perhibet. Sed in hac re summum virum erravisse, certum mihi videtur. Ipse enim in praecedentibus ταμίας illos sorte ductos esse et e scriptoribus et ex inscriptionibus tam luculenter demonstravit, ut nemo de hac re dubitare possit. Creatum tamen esse Androtionem ad nova πομπεῖα facienda sibique adjunxisse Timocratem plane et diserte dicit Demosthenes [3]).

1) Andr. § 60.
2) V. Boeckh. I. 222, Funkhaenel. prol. 14 seq, Schaeffer. I. 317. n. 8.
3) In Tim. § 177. αἱρεθεὶς δ' ἐπὶ ταῦτα προσείλετο τοῦτον τὸν πάντων τῶν κακῶν κοινωνόν. Cf. de his novis πομπείοις etiam Philochorum

Itaque ex hac sola re jam statim Boeckhii opinionem falsam esse apparet, et quam opinionem Schaefferus proposuit ac simul respuit, Androtioni extra ordinem hanc ἐπιμελείαν esse mandatam, potius amplectar. Inscriptio quoque quam in novis vasis, quae facienda curavit, insculpsit, Ἀνδροτίωνος ἐπιμελουμένου, ἐπιμελητὴν neque magistratum eum fuisse ostendit. Demosthenem eum ταμίαν dicere, nihil nos impedit; nam illo loco hoc solum agit, ut Androtionem, quae munera inter multos divisa esse soleant, omnibus eodem tempore functum esse in hac novorum πομπείων cura ostendat. Optime igitur Androtion, ἐπιμελητὴς ad ea comparanda creatus, ῥήτωρ, χρυσοχόος, ταμίας, ἀντιγραφεὺς dici poterat, quum ipse de hac re ad populum tulisset, coronas conflandas curavisset, aerarii parti praefuisset neque ἀντιγραφέα habuisset. Qua de causa coronas conflandas esse Androtion dixerat, facete Demosthenes deridet hisce verbis: φήσας ἀπορρεῖν τὰ φύλλα τῶν στεφάνων καὶ σαπροὺς εἶναι διὰ τὸν χρόνον, ὥςπερ ἴων ἢ ῥόδων ὄντας, ἀλλ᾽οὐ χρυσίου, συγχωνεύειν ἔπεισεν. Injuria tamen, ut recte observavit A. Michaelis in egregio libro de Parthenone p. 292 [1]). Multis enim annis ante jam quattuor folia e corona signi Vic-

apud Harpocrationem s. v. πομπείοις πρότερον ἐχρῶντο οἱ Ἀθηναῖοι τοῖς ἐκ τῆς οὐσίας τῶν τριάκοντα κατασκευασθεῖσιν. ὄψε δὲ καὶ Ἀνδροτίων ἄλλα κατεσκεύασεν.

1) Eodem loco Androtionem ἐπιμελητὴν fuisse dicit Michaëlis. Cf. etiam p. 303.

toriae a Minerva Virgine lati exciderant, quae separatim in catalogo opum in arce conservatarum memorantur. Perbene igitur factum esse potest, ut multae coronae tam obsoletae essent ut amplius conservari non possent [1]).

Etiam de tempore ejus ἐπιμελείας dubitatur. Boeckhius [2]) et Funkhaenelius eodem anno quo τὰς εἰσφορὰς exigebat, eum hoc munere functum esse putant; Schaefferus tamen annum ante exactionem posuit, argumento usus quod mihi non persuasit. Haec dicit [3]). „Da übrigens Androtion bei seinem „Antrage auf Eintreibung der Steuerreste damit „drohte, wenn dieser nicht durchgehe bleibe nichts „übrig, als die Pompgefässe einzuschmelzen (§ 48. „S. 608. 4.) so setze ich sein Schatzamt in ein frü„heres Jahr, vielleicht das nächstvergangene vor „der Ausführung der Massregel in betreff der Ver„mögensteuer." Haec sensum non habent nisi τὰ πομπεῖα § 48. memorata eadem fuisse putes, quae Androtion facienda curaverat; sed nullam causam video cur necessario Androtion de vasis a se ipso factis, dicere debuerit. Optime enim idem quadrat

1) Inscriptiones quae huc pertinent tractavit Boeckhius St. h. h. II 293—298. cf. p. 253. In inscriptione nona l. c. haec legimus: πέταλα χρυσᾶ [I]III, σταθμὸν ΓΗΙ, ἀ[π]ὸ τοῦ στε[φ]άνου, ὃν ἡ [N]ίκη ἔχει ἡ ἐπὶ τῆς χ[ει]ρὸς τοῦ ἀγάλμα[τ]ος. Haec, paucis tantum mutatis, in inscriptionibus septima et octava quoque invenimus.

2) Apud Funkh. prol. p. 13. n. 48.

3) I. 317. n. 8.

in antiqua vasa, e trigintavirorum bonis facta [1]); quod si verum est, prorsus nulla causa superest, cur Androtionem ante exactionem τα πομπεια curasse statuamus. Quum igitur Demosthenes priore loco de exactione, et secundo de τοῖς πομπείοις dixerit, aut praecessisse exactionem, aut eodem anno factam esse credo.

Unam quaestionem de Androtione nondum attigi: fueritne orator simul Atthidis auctor, qui tam saepe a lexicographis aliisque scriptoribus laudatur [2]). Veteres ipsi nihil nobis de hac re tradunt, nisi uno loco Zosimi [3]), qui eosdem fuisse dicit. Quum autem Zosimus non magnae auctoritatis esset, non statim omnibus persuasit et aliunde etiam argumenta quaesita sunt. Ad hanc quaestionem dijudicandam, primo loco quid de Atthidis auctore innotuit colligendum est. Ad tempus quo vixit definiendum C. Mullerus adhibuit Plutarchi locum de Exilio. c. 14. t. II. p. 605. c. καὶ γαρ τοῖς παλαιοῖς (ὡς ἔοικεν) αἱ μοῦσαι τὰ κάλλιστα τῶν συνταγμάτων καὶ δοκιμώτατα φυγὴν λαβοῦσαι συνεργὸν, ἐπετέλεσαν. Θουκυδίδης Ἀθηναῖος συνέγραφε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων ἐν Θράκῃ περὶ Σκαπτὴν ὕλην· Ξενοφῶν, ἐν Σκιλλοῦντι τῆς Ἠλείας· Φίλιστος ἐν Ἠπείρῳ· Τίμαιος ὁ Ταυρομενείτης ἐν Ἀθήναις· Ἀνδροτίων Ἀθηναῖος ἐν Μεγάροις· Βακχυλίδης ὁ ποιητὴς ἐν Πελοποννήσῳ. Androtionem historicum hoc loco indicari verisimile est, quia cum aliis historicis conjunctus est et nisi historicus esset Plutarchus, eodem modo quo apud Bacchylidem, quis esset addidisset.

1) Harp. s. v. πομπεῖα. v. s.

2) Eosdem fuisse contendunt: Meursius Biblioth. Attic. I. in Gronovii Thesauro X. p. 1406., Jonsius de Script. Hist. Phil. II. 9. p. 159., E. J. Kiehl Mnem. II. 142. sq., A. Schaeffer I. 353. et Funkhaenel prol. 10.

Ab altera parte stant Ruhnkenius Hist. Crit. Or. Graec. LXXIV. Siebelis Epist ad Lenzium XV. seq. et C. Muller. Fragm. Hist. Gr. I. 83.

3) In Vita Isocratis p. 257. West. ἔσχε δὲ μαθήτας [Ἰσοκράτης]. Ἀνδροτίωνα τὸν τὴν Ἀτθιδα γράψαντα, καθ᾽ οὗ καὶ Δημοσθένης ἔγραψεν.

Quam conclusionem C. Mullerus ex ordine quo historici illi nominantur fecit, Androtionem sive post Timaeum vixisse, sive illius aequalem fuisse, minus certa mihi videtur. Timaeum enim cum Philisto conjunxit, quod uterque de rebus Siciliae scripsit, neque quod Androtion post illos scripsit, eum illo loco posuit. Quae in sequentibus Mullerus de Androtionis aetate disputat magis mihi probantur: „Id premendum esse mihi videtur, quod Androtion, „ubi una cum Philochoro laudatur, huic ubique an- „teponitur, si ab uno loco discesseris (v. Philoch. fr. „130 a. cf. 17, 59, 133, 150, 153.). Atque in his „locis Androtionem et Philochorum videmus plane „inter se consentientes, ut jure sumamus Philocho- „rum usum esse Androtionis opere." Androtion igitur Philochoro vetustior fuit. Hujus autem vitam ab Ol. 115 (321—318 a. C.) fere usque ad Ol. 130 (261—258 a. C.) pertinuisse, probavit Mullerus l. l. p. LXXXV.

Ex Androtionis fragmentis eum post Ol. 108. 3. (34⁹/₈ a. C.) vixisse videmus. Apparet e Philochori fragmento 133, quod legimus apud Harpocr. s. v. Διαψήφισις. ἐντελέστατα δὲ διείλεκται περὶ τῶν διαψηφίσεων, ὡς γεγόνασιν ἐπὶ Ἀρχίου ἄρχοντος, Ἀνδροτίων ἐν τῇ Ἀτθίδι καὶ Φιλόχορος ἐν ἕκτῳ τῆς Ἀτθίδος. Archiam archontem fuisse Ol. 108. 3 nos docet Diod. Sic. XVI. 59.

„Quod ad patriam Androtionis attinet, ex Plu„tarchi l. l. patet eum Atheniensem fuisse; idque eo „confirmatur quod Atheniensium causam agit contra „Lacedaemonios fr. 49. Ex eodem Plutarchi loco col„ligimus, Androtionem in Atheniensium republica „aliquo modo conspicuum fuisse: in exsilium enim „actus est et opus suum Megarae in exsilio scripsit" [1]).

Si haec, quae omnia fere sunt quae de historico scimus, cum iis rebus, quas de oratore cognovimus componamus, nihil est quod nos impedit, quominus eundem virum, et Atthidis scriptorem et Diodori inimicum fuisse, statuamus. Oratorem, quum accusaretur, plus quam quinquaginta annos habuisse, supra vidimus; si igitur idem Atthidem scripsit, tunc collato fragmento laudato, plus quam sexaginta annos habebat. Oratorem e patria ejectum esse per se improbabile non est; non diu enim post nostram orationem, Eubulus ejusque factio maximam auctoritatem Athenis obtinuerunt, quo tempore factum

1) Cf. Muller. l. l.

esse potest, ut Androtion, qui ab Aristophontis partibus semper steterat, in exsilium actus sit [1]). Accedit quod etiam alii Isocratis discipuli, ut Theopompus et Ephorus, ad res historicas scribendas sese converterunt.

Androtionem orationes quoque edidisse, apparet ex Aristotele [2]), qui acerbum ejus dictum in Idreum nobis servavit. Quamquam igitur Zosimi testimonium confirmari videtur, pro certo tamen nihil affirmari potest, nisi aliunde fortasse nova argumenta afferantur.

1) Quod autem Kiehlius l. l. conjecit in hac causa condemnatum eum in exsilium missum esse, me judice verum esse non potest. Supra enim, Androtionem absolutum esse ostendere conatus sum.

2) Arist. Rhet. III. 4, p. 1406. 26. εἰσὶ δ᾽ εἰκόνες οἷον ἣν Ἀνδροτίων εἰς Ἰδριέα, ὅτι ὅμοιος τοῖς ἐκ τῶν δεσμῶν κυνιδίοις· ἐκεῖνά τε γὰρ προσπίπτοντα δάκνειν, καὶ Ἰδριέα λυθέντα ἐκ τῶν δεσμῶν εἶναι χαλεπόν.

CAPUT TERTIUM.

DE LITIS CAUSA.

Themistocles fuit, qui primus Athenarum potestatem in navibus esse ponendam vidit et inde ab ejus tempore Atheniensibus classis magnae semper curae erat. Eleganter quantum naves ad Athenarum fortunam aut stabiliendam, aut labefaciendam valuerint, sic descripsit Demosthenes: ὅσα πώποτε τῇ πόλει γέγονεν ἢ νῦν ἔστιν ἀγαθὰ ἢ θάτερα, ἵνα μηδὲν εἴπω φλαῦρον, ἐκ τῆς τῶν τριήρων τὰ μὲν κτήσεως τὰ δ' ἀπουσίας γέγονεν [1]).

Ut quotannis e pecunia publica, quae ad hanc rem in peculiari aerario, cui ὁ τῶν τριηροποιῶν ταμίας praeërat [2]), asservabatur, legitimus navium numerus expleretur, senatus curare debebat et nisi

1) In Andr. § 12.
2) Ib. § 17.

factae essent, coronam auream, quae ei bene rebus administratis dari solebat, rogare non licebat. Ipsius aedificationis cura τῶν τριηροποιῶν officium fuisse videtur. Senatus tamen quoque ποιεῖν τὰς τριήρεις [1]) dicitur. Secundum Themistoclis legem [2]) quotannis viginti naves faciendae erant; quot tamen postea aedificare deberent Athenienses non novimus, neque inde quod anno 356 a. C., quia ὁ τῶν τριηροποιῶν ταμίας cum duobus talentis et dimidio aufugerat, naves factae non sunt [3]), tunc temporis paucas triremes fieri solitas esse concludere licet. Nam ut Boeckhius recte observavit, verisimile est, ex hac pecunia opifices solum solvendos fuisse, ligno aliisque rebus, quibus ad naves faciendas indigerent, jam comparatis. Nec fieri potest ut illo praesertim tempore, adhuc flagrante bello sociali, paucis tantum navibus opus esset. Naves aedificatae trierarchis tradebantur, qui τὰ σκεύη comparanda et naves sartas tectas praestandas curare debebant. Olim semper uni trierarchae unius navis cura mandata erat, postea tamen — post cladem Siciliensem fere — saepe duo trierarchae erant in una nave. Nautae semper a populo dabantur et mercedem accipiebant [4]).

Anno 356 a. C., ut supra vidimus, naves factae

1) Ib. § 8.
2) Diod. Sic. XI. 43. Boeckh. I. 350 seq.
3) In Andr. § 17.
4) De trierarchis cf. Boeckh. I. 708—749.

non sunt, itaque senatui coronam rogare non licebat per legem *διαρρήδην οὐκ ἐῶσαν ἐξεῖναι μὴ ποιησαμένῃ τῇ βουλῇ τὰς τριήρεις αἰτῆσαι τὴν δωρεάν* [1]).

Androtion autem ut legem illam eluderet, de navibus mentione nulla facta, ut senatui corona aurea daretur populum rogavit. Quum de hac re in comitiis ageretur, Midias [2]) quidam senatum, quod non recte officio suo functus esset, accusavit. Senatores tamen surgentes, a populo ne sibi donum surriperetur petiverunt. Post hanc petitionem, Androtionis psephisma perlatum esse videtur; sed Euctemon et Diodorus Androtionem, quod psephisma contra leges tulisset, *παρανόμων* accusaverunt. Quum causa ad judices venisset, prior dixit Euctemon post eum Diodorus, cui nostram orationem scripsit Demosthenes. Haec igitur *δευτερολογία* est, ut jam statim ex initio patet. Nulla quum dubitatio superesse possit, quare et quomodo Androtio accusatus sit, neque quidquam novi de *γραφῇ παρανόμων* dicere habeam, potius utrius argumenta majorem *πειθανάγκην* habere videantur examinabimus. Quod ut faciamus secundum orationis ordinem, Androtionis argumenta eorumque refutationem a Demosthene cognoscamus; numquam tamen Androtionis argumenta nobiscum a Demosthene esse communicata oblivis-

1) In Andr. § 17.

2) Fortasse idem est, contra quem duobus annis post D. celeberrimam orationem scripsit. Midias enim Eubuli factionis erat, quae tunc Antiphonti ejusque fautoribus se opponebat.

camur et ubique hanc orationem esse *δευτερολογίαν* teneamus. Hinc enim orationis forma explicanda est. Semper Demosthenes argumenta, quibus Androtion se contra Euctemonis accusationes defendere poterit refutare studet, neque nova afferens neque sua accurate enarrans, quod Euctemon jam fecerat.

Primae accusationi - psephisma sine *προβουλεύματι* ad populum esse latum [1]) — Demosthene quidem auctore Androtion sic responsurus fuisset. Lex est quae populum senatui coronam dare jubet, si bene rempublicam administravisse videatur. Is igitur qui populum, ut senatum coronet, rogat, secundum legem agit, neque ibi Senatusconsulto opus est, neque unquam Senatusconsultum factum est. Prius argumentum sic Demosthenes refellit, *προβούλευμα* facere omnino non licere dicens nisi de iis rebus de quibus leges jubeant. Quod ad alterum attinet, contradicere non potest, plerumque de hac re Senatusconsultum non factum esse, sed etiamsi nunquam factum sit, non propterea Androtionem absolvendum perhibet; sed eo magis condemnandum, ut inde ab hoc tempore, quod lex jubeat omnes in posterum facere cogantur [2]). Demosthenes licere dicens *περὶ τούτων τὰ προβουλεύματα ἐκφέρειν μόνων περὶ ὧν κελεύουσιν οἱ νόμοι, ἐπεὶ περὶ ὧν γε μὴ κεῖνται, οὐδὲ γράφειν τὴν*

1) In Andr. § 5—7.

2) Prorsus eadem argumentatione Demosthenes usus est in oratione in Aristocratem § 99.

ἀρχὴν προσήκει οὐδὲ ἓν δήπου, sophismate usus est. Nam si hoc verum esset, nunquam de nova re lex ferri posset neque psephismata de personis vel factis extraordinariis, hoc solum dicere debuisset, contra leges *προβούλευμα* fieri non licere. Alterum Demosthenis argumentum non firmum esse Ulpianus [1]) jam observavit; neque mirum est aut raro aut nunquam de hac re Senatusconsultum factum esse; non enim probabile erat, senatum unquam contra se ipsum decretum facturum esse [2]). Qua de re igitur necessarium non habebatur et plerumque *ἀπροβουλεύτως* de corona Senatui danda, ad populum ferebatur.

In sequentibus de ipsa lege, quae senatum navibus non factis donum rogare vetabat, disputatur. Huic legi Androtion supra jam opposuit aliam, quae populum senatui, qui digne res suas fecisset, coronam dare jubebat; et nunc de ipsa lege hoc addit: lex illa etiamsi senatum coronam rogare vetet, populum quominus det nunquam vetare potest. Ad quod argumentum refutandum Demosthenes quae in comitiis, ubi de hoc psephismate agebatur, facta sunt, narravit ut senatum revera coronam rogasse probaret. Falsam tamen conclu-

1) Ad p. 595. 4. *σεσόφισται ἡ παροῦσα ἀντίθεσις. κ. λ.*
2) Cf. Schaeffer I. 328.
3) In Andr. § 8—11.
4) Ib. § 5. *νόμος ἐστὶν ἐὰν ἀξίως ἡ βουλὴ δοκῇ βουλεῦσαι δωρεᾶς, διδόναι τὸν δῆμον τὴν δωρεὰν αὐτῇ.*

sionem fecisse videtur, nam tunc demum in legem illam peccasset Senatus, si per Senatusconsultum ut coronaretur, populum rogavisset. Nunc autem nihil Senatores fecerunt, nisi quod donum non accipere sibi valde ingratum fore ostenderunt. Neque *τὸν ἐπιστάτην* et *τοὺς προεδρεύοντας τῆς βουλῆς*, de qua coronanda agebatur, populum in suffragium misisse argumento esse potest; non enim tanquam Senatores senatu jubente; sed tanquam comitiorum praesides secundum Androtionis rogationem, quid populus de corona Senatui danda censeret rogaverant.

Argutiis uti Androtion fortasse videbitur, populo licere dicens donum dare, Senatum tamen rogare vetitum esse; sed stricto jure ei contradici non potest neque haec quaestio [1]) *ὅπου δ' αἰτεῖν οὐκ ἐᾷ, πῶς οὐ σφόδρα γε δοῦναι κωλύει*, quidquam probat. Populus enim *πάντων κύριος ὤν*, quominus quod sibi placeret faceret, nunquam prohiberi poterat.

Hucusque de iis solum legibus vidimus, quibuscum Androtionis psephisma, et propter quam rationem latum esset, et propter argumentum Demosthenes pugnare contendebat; nunc ad leges *κατὰ τοῦ προσώπου* [2]), quae Androtionem *πολιτεύεσθαι* vetabant, quaedam adnotanda sunt. Duae erant leges, quae *τὸν ἡταιρηκότα* a republica removebant. Quid utra-

1) In Andr. § 11.
2) Libanius in argumento p. 588. 3.

que juberet, nos docebit Aeschines, qui in oratione in Timarchum copiose de iis egit.

Ex altera lege [1]) haec nobis affert orator: *ἄν τις Ἀθηναίων ἑταιρήσῃ, μὴ ἐξέστω αὐτῷ τῶν ἐννέα ἀρχόντων γενέσθαι, μηδ' ἱερωσύνην ἱεράσασθαι, μηδὲ συνδικῆσαι τῷ δημοσίῳ· μηδ' ἀρξάτω ἀρχὴν μηδεμίαν μηδέποτε, μήτ' ἔνδημον μήθ' ὑπερόριον, μήτε κληρωτὴν μήτε χειροτονητήν· μηδὲ κηρυκευσάτω, μηδὲ πρεσβευσάτω, μηδὲ τοὺς πρεσβεύσαντας κρινάτω, [μηδὲ συκοφαντείτω]* [2]) *μηδὲ γνώμην εἰπάτω μηδέποτε ἐν τῷ δήμῳ, μηδ' ἂν δεινότατος ᾖ λέγειν. ἐὰν δέ τις παρὰ ταῦτα πράττῃ, γραφὰς ἑταιρήσεως πεποίηκε (ὁ νομοθέτης) καὶ τὰ μέγιστα ἐπιτίμια ἐπέθηκεν.*

Altera lex [3]) *τοὺς αἰσχρῶς βεβιωκότας* et *τοὺς στρατείας μὴ ἐστρατευμένους* et *τοὺς τὴν ἀσπίδα ἀποβεβληκότας* et *τοὺς πεπορνευμένους* vel *ἡταιρηκότας* et *τοὺς τὰ πατρῷα κατεδηδοκότας, ἢ ὧν ἂν κληρονόμοι γένωνται*, qui omnes *ἄτιμοι* erant, coram populo verba facere vetabat, et si quis illam legem violasset, ei *δοκιμασίαν ἐπαγγέλλειν* poterat *Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος, οἷς ἔξεστιν* [4]).

Duobus igitur modis *τὸν ἡταιρηκότα* munere publico fungentem, accusari potuisse videmus, et per

1) l. l. § 19. Aeschinis oratio in *δοκιμασίας ἐπαγγελίᾳ* dicta est.
2) Haec verba ejicienda et *κρινάτω* legendum esse vidit Cobetus. V. L. 640.
3) l. l. § 28.
4) Ib. § 32.

γραφὴν ἑταιρήσεως et per *δοκιμασίας ἐπαγγελίαν*. Qui *γραφῇ* [1]) illa condemnabatur, ei *μέγιστα ἐπιτίμια* imponebantur, unde librarius, qui ex oratoris verbis legem reconstruere conatus est, morte illum puniri concludit; *ἐπαγγελία* [2]) tamen, quae mitior accusandi ratio erat, condemnatum *ἄτιμον* reddebat, neque majore poena afficiebat. Si quis tamen per *ἐπαγγελίαν* condemnatus verba faceret in comitiis, vel alias res, quas ei tanquam *ἀτίμῳ* facere non liceret, per *ἔνδειξιν* [3]), quam gravissimae poenae sequebantur, accusari solebat. Hac *ἐνδείξει* in omnes, qui a locis vel actionibus a lege iis interdictis non abstinerent, utebantur, sed praesertim in *τοὺς ὀφείλοντας τῷ δημοσίῳ*, qui *ἄρχειν* vellent vel *ἡλιάζειν*, ut e nostra quoque oratione [4]) apparet. Nam Demosthenes Androtioni, *ὀφείλοντι τῷ δημοσίῳ* non licere dicit *λέγειν οὐδὲ γράφειν*, qua de re in hac causa lege ab eo, aerarii debitore, lata condemnandus erat. Cui accusationi Demosthene auctore, Androtion aerarii debitores per *ἔνδειξιν* esse persequendos responderet non per *γραφὴν παρανόμων*, qua eadem defensione etiam contra *ἑταιρήσεως* accusationem uteretur, et suo jure, ut mihi

1) Cf. Meier und Schömann, der Attische Process. p. 334 seq.
2) Cf. id. ib. 209 seq.
3) Harp. s. v. *εἶδος δίκης δημοσίας ὑφ' ἣν τοὺς ἐκ τῶν νόμων εἰργομένους τινῶν ἢ τόπων ἢ πράξεων, εἰ μὴ ἀπέχοιντο αὐτῶν, ὑπῆγον.* Cf. M. u. Sch. A. Pr. 240 seqs.
4) § 33--34.

videtur: nam tunc demum in *γραφῇ παρανόμων* has accusationes in Androtionem Demosthenes proferre potuisset, si in judicio quoquo modo vel quod *ἡταίρησε* vel quod *ὦφλε τῷ δημοσίῳ* condemnatus et *ἄτιμος* factus esset; quod Ulpianus [1]) jam recte observavit. Nunc autem, quum harum rerum ne accusatus quidem esset Androtion, Demosthenes *φενακίζειν αἰτίας καὶ λοιδορίας κενὰς ποιούμενος καὶ ἐνοχλεῖν οὐ δικασταῖς τούτων οὖσι τοῖς ἡλιασταῖς* mihi videtur [2]).

Cetera Androtionis argumenta quae Demosthenes *προϋφαρπάζει*, non ad leges, quas psephismate suo violavisset, pertinent, sed ad aequitatem spectant, quae, ut senatus coronaretur, poscebat, quum non ipsius culpa triremes non factae essent.

Improbat Demosthenes [3]) de duabus rebus Androtionem simul dicere, et donum non contra leges datum esse et senatum triremium non factarum causam non fuisse; sed non video causam cur Androtioni haec verbi causa dicere non licuerit: „Etiamsi stricto jure, triremibus non factis, senatum „coronare non liceat, — quod tamen minime concedo — nunc tamen, quum non senatus culpa facta „sit, nullo modo condemnari potero", et cur deinde

1) Ad p. 602. 28. *σοφίζεται δ' ἐν τούτῳ. Ὁ γὰρ νομοθέτης ἐκβάλλει τοὺς ἐξελεγχθέντας ἡταιρηκέναι καὶ διαλέγεται δηλονότι περὶ τῶν ἑαλωκότων.* Cf. etiam Schaeffer I. 328.

2) In Andr. § 21.

3) Ib. § 18.

argumenta cur se absolvendum esse perhibeat, explicare non potuerit. Nemo hoc *οὐ δίκαιον εἶναι* dicere potest. Hac observatione praemissa quae argumenta ad senatum purgandum affert cognoscamus.

Hoc Androtionem dicturum esse perhibet Demosthenes [1]): non senatus culpa triremes non factae sunt sed *τοῦ τῶν τριηροποιῶν ταμίου*, qui cum duobus talentis et dimidio aufugit. De hac re jam vidimus et facile factum esse potest, ut hac quaestoris fuga, quas debuisset senatus naves facere, non potuerit. Locus ubi Demosthenes se perspicue probaturum profitetur, solius senatus culpa triremes non factas esse, tam misere corruptus et lacunosus est, ut neque sanari possit, neque quae vocabulorum sententia fuerit, e fragmentis eliciamus [2]).

Cetera argumenta quae huc tendunt non magni sunt momenti, breviter tamen commemorabo.

Androtion secundum Demosthenem [3]) iniquum esse dicturus erat, quingentos cives a populo dono privari et opprobrio affici. Quod argumentum nullius pretii futurum esse recte observavit Demosthenes; non enim quaerendum erat, utrum aliquid nonnullis civibus injucundum esset, sed quod lex jubebat fa-

1) In Andr. § 17—20.

2) In fine § 20. Hunc locum lacunosum esse primus dixit Taylor et ultimus hanc sententiam defendit Cobetus Miscel. Crit. 521 seq. Virorum doctorum explicationes tam obscurae sunt, ut hoc solum, locum corruptum esse jam satis probet.

3) § 35—37.

ciendum. Quae autem Demosthenes addit: „si sena-„tui corona non dabitur, ceteri cives — plus quam „decem millia — ut meliores sint impellentur at-„que in posterum non in oratorum potestate se-„natus erit, sed in τῇ τῶν ἰδιωτῶν" rhetorice dicta esse neque eum cuiquam persuasisse, quis non credet?

Quod Philippus Antigenes et alii, qui semper in senatu omnium rerum auctores fuissent, ad senatum defendendum allaturi essent nunquam ullo modo senatum culpa liberare posse, Demostheni [1]) concedo. Illi enim non ad senatum, sed ad se ipsos defendendos, verba facturi erant.

Denique Euctemonem et Diodorum totam hanc accusationem propter τὴν τῶν εἰσφορῶν εἴσπραξιν molitos esse, Androtion defensurus erat [2]). Cum Demosthene, non de hac re, sed utrum contra leges psephisma latum esset necne Athenienses judicaturos fuisse, prorsus consentio. Si tamen revera illae exactiones non ad rem pertinerent, Demosthenes non bona causa eas tam vehementer exagitavit. Sed inde jam satis apparet recte Androtionem judicasse, quum exactiones suas, principem hujus accusationis causam fuisse diceret.

Quae in altera orationis parte de Androtionis vita publica narrantur non ad ipsam litis causam pertinent, et hîc quidem praetereunda sunt.

1) § 38—41.
2) § 42—46.

Omnibus Androtionis argumentis eorumque refutationibus accurate perpensis, ego sane si Athenis in eum judex sedissem, Androtionem absolvissem. Quare heliastae Athenienses quoque hoc fecisse mihi videantur jam supra ostendere conatus sum.

CAPUT QUARTUM.

DE ORATIONIS COMPOSITIONE.

De orationis compositione judicaturis, ante alia omnia hoc semper nobis est tenendum, orationem nostram esse *δευτερολογίαν*, quae res et causas, cur non omnes partes aeque accurate et explicate tractatae sint, affert et totam rationem, quam Demosthenes in hac oratione secutus est, explicat. Si verbi causa per duodecim paragraphos de *τῷ τῆς ἑταιρήσεως νόμῳ* dicit et per duas [1]) tantum de lege, quae eum, patre reipublicae pecuniam debente, verba facere prohibebat, hac de causa fecisse videtur, quod Euctemon de secunda illa lege jam satis dixerat. De iis solis rebus, quas *παρέλιπεν Εὐκτήμων*, Demostheni dicendum erat; postquam igitur Euctemon causae expositionem — *τὴν διήγησιν* ut grammatici

1) § 21—32. et § 33—34.

dicere solent — cum judicibus communicavit et in quas leges Androtion sua lege peccaverat, ostendit, illasque leges recitandas curavit, in nostra oratione *ἡ διήγησις* abest, et de legibus violatis tanquam omnibus notis dicit. Id solum agit orator, ut argumenta enervet, quibus Androtion se non contra leges tulisse psephisma suum probare studet. Itaque nulla nova argumenta affert, sed Euctemonis accusationem contra Androtionis refutationem defendit. Quae tamen de rei vita publica narrat, nova sunt; de illa re enim nondum quidquam in priore accusatione dictum esse videtur. Ipse Demosthenes quas res tractabit, hisce verbis [1]) nobis narrat: *περὶ δ'ὧν οἴσετε τὴν ψῆφον νυνὶ καὶ περὶ ὧν οὗτος δημοσίᾳ πεπολιτευμένος οὐκ ὀλίγα ὑμᾶς ἔβλαψεν, ἅ μοι παραλιπεῖν Εὐκτήμων ἐδόκει, βέλτιον δ'ὑμᾶς ἀκοῦσαι, ταῦτα διεξελθεῖν ἐν βραχέσι πειράσομαι.* Ex hoc loco orationem ab ipso Demosthene in duas partes esse divisam videmus. In priore parte, quae est inde a § 5. usque ad § 47., de iis argumentis, quae Androtion ad legem suam defendendam afferet, in altera parte de Androtionis vita publica agit. In quatuor paragraphis prioribus causae inimicitiarum inter Diodorum et Androtionem exponuntur et de quibus rebus et quomodo orator dicturus sit, docemur, et inde a § 5. ipsa argumentatio incipit, in qua per triginta paragraphos de legibus dicitur, quas An-

1) § 3.

drotion lege sua ferenda violaverit. Leges illae rursus in duo genera dividit: cum duabus [1]) ipsum Androtionis psephisma pugnat et duae aliae [2]) sunt *κατὰ τοῦ προσώπου*, quae Androtionem tanquam *ἡταιρηκότα* et *ἄτιμον* verba ad populum facere vetant. Inter has duas partes de legibus violatis, orator de causa dicit, quam Androtion afferet, ut non senatus culpa non factas esse triremes ostendat. Nam triremium quaestorem cum duobus talentis et dimidio aufugisse, hujus rei causam fuisse perhibet. Recte illo loco hoc positum est, nam in sequentibus non amplius de triremibus sermo fit et bene cum praecedentibus conjungitur, ubi de lege, quae senatum nisi triremibus factis coronari vetabat, accurate agit orator. Ubique et in hac priore parte et in altera omnia argumenta, quibus Androtion ad se defendendum uti poterit, orator praeoccupat, *προϋφαρπάζει* ut Ulpianus [3]) dicit. Quae haec argumenta sint et quantum valeant jam supra vidimus; hic ergo praetereunda sunt et alia quaestio tractanda est.

Primum Taylorus in fine praefationis, quicumque hanc orationem cum aliquo acumine versaverit, deprehensurum esse contendit multis in locis turbatam sententiam esse, raptim quaedam et contorte inferri, adeo ut suspicionem inolevisse sibi fateatur,

1) § 5—16.
2) § 21—34.
3) Ad pag. 594. 4.

multa hic deesse, nulla fortuna restituenda [1]). Quam eandem sententiam Bekkerus quoque defendit in libro „Demosthenes als Staatsmann und Redner" p. 378 seq. Quamquam tamen judicium de tota oratione ferunt, unum tantum locum ad opinionem stabiliendam afferunt, extremam paragraphum vicesimam lacunosam esse perhibentes.

Hanc sententiam veram mihi videri supra dixi; Schaeferi enim explicatio tam contorta est, ut potius post § 20. lacunam esse statuendam credere possim, quam obscura illa sententia: *ἀνελοῦσα γὰρ ἡ βουλὴ τὸν νόμον τοῦτον ἐχειροτόνησεν αὐτήν* dari *ἐπίδειξιν σαφῆ ὅτι οὐδ' αἴτιος ἄλλος οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶ τοῦ μὴ πεποιῆσθαι τὰς ναῦς.* Antiquam esse hanc labem, e multis grammaticorum locis [2]), qui vulgatum diversis modis explicare student, apparet. Aliud argumentum, quo lacunosam esse nostram orationem probaret, ipse Taylorus postea rejecit. Quod enim Ammonius s. v. *ποτὸς* et Harpocration s. v. *ἀπὸ τοῦ πράγματος* et s. v. *Μελάνωπος* nonnulla ex Androtionea afferunt, quae ibi non leguntur, mutilatam orationem nobis esse traditam sibi persuaserat. Postea [3]) tamen haec in Timocratea [4]) legi videns — solo Ammonii loco excepto — adeo associari has ora-

1) Funkhaenel Praefatio. p. X.
2) Ulpianus ad hunc locum, Harpocration s. v. *ἀνελοῦσα*, quem descripsit Suidas s. v. *ἀνελεῖν* et Bekkeri Anecdota. p. 397. 3.
3) In praefatione ad Timocrateam.
4) § 6. et § 12.

tiones monet, ut magistri antiquiores sibi pene permitti arbitrarentur utramvis sine discrimine afferre. Ammonius l. c. *βρωτοῦ καὶ ποτοῦ μεταλαβεῖν* in Androtionea legi contendit, quod aut ipsius Ammonii aut librarii errorem esse, Valckenarius jam monuit. Reiskius probabiliter conjecit significari locum ex oratione in Aristogitonem § 31. *μὴ ποτοῦ, μὴ βρωτοῦ μηδενὸς μηδένα τούτῳ κοινωνεῖν*

Ostendenda igitur unius loci mutila conditione opinionem defenderunt, ad quam stabiliendam ego tamen nova quaedam argumenta me invenisse puto. Nonnullis enim locis genus orationis contortum est, neque tamen hoc nimis premendum est sed aliam rem majoris momenti mihi observavisse videor; finem enim orationi, sic ut nunc eam habeamus, deesse contendo. Antequam eam opinionem defendam, contortae illius orationis exempla describam.

§ 5 legimus: *ἐγὼ δ' αὐτὸ τοὐναντίον οἶμαι, νομίζω δὲ καὶ ὑμῖν συνδόξειν, περὶ τούτων τὰ προβουλεύματα ἐκφέρειν μόνων περὶ ὧν κελεύουσιν οἱ νόμοι, ἐπεὶ περὶ ὧν γε μὴ κεῖνται νόμοι οὐδὲ γράφειν τὴν ἀρχὴν προσήκει οὐδὲ ἓν δήπου.*

Hunc locum sic vertit Schaefferus: arbitror *rogatores* ad populum ferre Senatusconsulta de his rebus solis, de quibus jubent leges", quod vix fieri posse recte observat Funkhaenelius; sed illius quoque explicatio, qui *ἐκφέρειν* a verbis *ὑμῖν συνδόξειν* pendere dicit, sententiam non minus contortam reddit. Simplex erit loci ratio si vel cum Wolffio

δεῖν ἐκφέρειν vel, quod mihi antequam Wolffii conjecturam cognovissem in mentem venerat, *ἐκφέρειν ἐξεῖναι* legeremus. Inter ΕΙΝ et Μ facile ἐξΕΙΝΑΙ excidere potuit.

§ 13. oratio paullo contortior est, quamquam deleta particula *γὰρ* post *ἴστε*, quae in Codicibus A. k. r., qui variis lectionibus e conjectura natis pullulant, abest, aliquanto expeditior reddita est.

§ 23. *ἡμεῖς τοίνυν οὐκ ἐκ λόγων εἰκότων οὐδὲ τεκμηρίων, ἀλλὰ παρ' οὗ μάλιστα δίκην ἔστι λαβεῖν τούτῳ, ταῦτ' ἐπιδείκνυμεν, ἄνδρα παρεσχηκότα γραμματεῖον, ἐν ᾧ τὰ τούτῳ βεβιωμένα ἔνεστιν, ὃς αὐτὸν ὑπεύθυνον ποιήσας μαρτυρεῖ ταῦτα,* miro modo dicta sunt, quod Seagerum. Diar. Class. 55. p. 58. movit, ut *ἀνδρὶ παρεσχηκότι*, commate non *post*, sed *ante* *τούτῳ* posito legendum esse conjiceret; Bekkerus autem *ἀνδρὸς παρεσχηκότος* malebat. Editores tamen omnes vulgatam lectionem retinuerunt.

Talia tamen non sufficiunt ad Taylori et Bekkeri opinionem muniendam; nam in ceteris quoque orationibus ejusmodi difficultates inveniuntur; sed quomodo alia opinio mihi nata sit, de qua re hucusque nemo cogitavisse videtur, nunc accurate exponam.

Quum prima vice orationem nostram legissem, finis mihi jam displicebat et suspicio mihi inolevit, quaedam ibi esse turbata aut omissa; quae opinio, semel iterumque oratione relecta, semper verisimilior mihi visa est.

Quibus rebus ductus ultimam orationis partem, sicut nunc legatur, non esse finem, quem Demosthenes scripsit, judicem quam maxime perspicue potero demonstrandum est.

Inde a § 69. usque ad ultimam Demosthenes de τῇ τῶν πομπείων ἐπισκευάσει dicit, coronis populo Atheniensium honorificis conflatis et ex iis novis poculis factis, Androtionis nomine ornatis, quibus rebus Androtionem nullo unquam munere publico recte et honeste functum esse vult probare orator, et quae perbene cum iis, quae in praecedentibus de illius vita publica dicta sunt, conjunguntur. Quomodo autem illud novum argumentum, quod ad ipsam litis causam non multum pertinet, finem orationis in causa παρανόμων habitae efficere potest? Nonne potius leges violatas iterum breviter in memoriam revocari et judices ad reum condemnandum incitari expectamus? Sic hoc ipsum in ceteris orationibus [1], in talibus causis dictis, factum esse videmus. Epilogus, quo in nulla oratione carere possumus, in nostra prorsus abest; et priusquam ullo modo exspectari possit, rebus quae ad condemnandum non multum conferre possunt allatis, orationem finitam esse videmus, neque quibus de causis intelligimus. Demosthenes quoque in ultimis paragraphis se nihil, quod orationis fini peculiare esset, invenisse osten-

1) Cf. in Lept. § 163 — fin., in Aristocr. § 215 — fin., in Tim. § 194 — fin., et Aesch. in Ctes. § 230. — fin.

dit tota illa parte inserenda, parvis tantum rebus mutatis, in orationem tertio post anno in Timocratem [1]) habitam. Neque nostram orationem esse δευτερολογίαν, excusationem afferre potest; quum enim talis orationis finis ultima occasio sit, ubi verba in accusatione fiunt, eo magis ut judices alloquatur et ad condemnandum impellat orator necesse est. Itaque ultimam paragraphum finem esse non posse, aliis quoque me probasse spero; et nunc quomodo hoc vitium natum sit, quaerendum est.

Duae res factae esse possunt: aut ultima pars inde a § 68. ab alia manu e Timocratea in nostram translata est, aut epilogus periit. Prior tamen opinio vera esse nequit, nam licet fortasse § 68. melius orationem finire potuisset, ultima parte carere non possumus. Androtionis enim vitam publicam perstricturus, *primo loco* de pecuniae exactione quaerendum esse dicit, unde etiam de aliis rebus se dicturum esse patet. Epilogus igitur periisse videtur; antequam tamen quomodo hoc factum esse mihi videatur exponam, alia res demonstranda est.

In tota nostra oratione in solum Androtionem invehitur Demosthenes. Neque Timocrates neque quisquam alius qui ab ejus parte stabat, in secunda orationis parte, ubi de Androtionis vita publica agitur, memoratur sola § 74. excepta, ubi nullo tamen nomine usus de duabus personis dicit orator;

1) § 176—186.

neque quisquam nisi lecta oratione Timocratea — quae tamen duobus annis post demum conscripta est — quae altera illa persona fuerit intelligere potest. Itaque non mirum est Emperium [1]) ultima hujus paragraphi verba ὥστθ' ὁ μὲν οἴεται δι' ἐκεῖνον ὑφ' ὑμῶν σωθήσεσθαι. ὁ δὲ παρακάθηται καὶ οὐ καταδύεται τοῖς πεπραγμένοις, tanquam e Timocratea in nostram invecta, hoc loco spuria judicasse. Ulterius etiam processit Cobetus [2]), qui totam paragraphum illo modo locum mutasse ostendit, tam firmis argumentis usus, ut nemo amplius hanc paragraphum in Androtioneam quadrare credere possit. Quum autem in omnibus codicibus haec paragraphus legatur et finis orationi abesse videatur, alia suspicio mihi nata est, quam nunc cum aliis quoque communicare in animo est.

A Callimacho [3]) Alexandriae τὴν τῶν ῥητορικῶν ἀναγραφὴν colligente nostrae orationis duo magna fragmenta empta sunt, unum viginti priores paragraphos continens, alterum partem quae legitur inde

1) Observat. ad Dion. Chrysost. p. 66. Eum laudat Funkhaenelius ad locum. Quae hic ad vulgatam lectionem defendendam offert, in hac oratione hominum male in R. P. administrando versatorum factionem, cujus Androtion et Timocrates principes essent, perstringi perhibens, dicere sane potest, quomodo autem probet, quum in nostra oratione semper de solo Androtione agatur, neque usquam nisi in hac paragrapho plurali numero usus sit Demosthenes, non video.

2) In Miscellaneis Criticis. p. 528 seq.

3) Cf. Rehdantzium apud Schaefferum Beilage. p. 317 seq.

a § 21— § 73. fere. Callimachus, qui oratoribus non multam curam impendisse videtur, haec fragmenta inter se conjunxit et ultimam secundi fragmenti partem iisdem fere verbis in Timocratea legi videns, ex illa oratione explevit; pleraque recte quidem, sed stulte § 74. quoque, quae in Timocratea locum suum habet, in Androtioneam transferens. Quae § 73. antecedunt in fragmento legisse videtur Callimachus; nam et in § 177. [1]) et in § 180. [2]) orationis in Timocratem sententiae leguntur, quibus in Androtionea caremus, et quas Callimachum, si has paragraphos quoque e Timocratea explevisset, eodem modo quo § 74. in nostram orationem translaturum fuisse probabile est. Diversitas lectionis quae in illa parte sicut in utraque oratione legitur superest, e librariorum incuria facile explicari potest.

In § 75. Androtioneae post θυμιατήρια omissum est ἢ τὰ τοιαῦτα κτήματα quod in Timocrateae § 183. legimus.

In eadem paragrapho Timocrateae καὶ ἀνάξια ὑμῶν legitur, quum in Androtionea καὶ οὐχ ὑμῶν ἄξια traditum est.

In sequenti paragrapho Timocrateae lectio ὑπὲρ δὲ δόξης εἰσφέρων ἐκ τῶν ἰδίων οὐδένα πώποτε κίνδυνου

1) αἱρεθεὶς δ' ἐπὶ ταῦτα προσείλετο τοῦτον τὸν πάντων τῶν κακῶν κοινωνόν.

2) Χαβρίας ἀπὸ τῆς ἐν Νάξῳ ναυμαχίας.

ἐξέστη, ei quam in Androtionea invenimus praeferenda est. Ibi enim ὑπὲρ δόξης inter κίνδυνον et ἐξέστη positum est, quod minus accurate dictum est, collata praesertim paragrapho decima orationis in Leptinem [1]).

In Andr. § 78. οἶμαι habent codices; et in Tim. § 18. 6. ἡγοῦμαι traditur.

In septem igitur paragraphis quatuor tantum locis diversitas lectionis invenitur; neque his quidem locis magni momenti est et uno loco nihil est, nisi transpositio verborum, quod vitium sexcenties in omnibus codicibus est videre.

Causa cur haec explicatio probabilior mihi videatur, quam Cobeti ratio, haec est. Saepe in illis partibus, quae in duabus illis orationibus leguntur, in Timocratea sententiae sunt additae, quae Timocratem perstringerent, neque minus frequenter plurali numero et de Androtione et de Timocrate dicens, orator usus est. Nusquam nisi in § 74. hae sententiae et pluralis ille numerus [2]) in Androtioneam invecta sunt, qua de re hanc solam paragraphum illo modo translatam esse verisimile mihi non videtur.

---

1) ὑπὲρ δὲ δόξης οὐδένα πώποτε κίνδυνον ἐξέστησαν, ἀλλὰ καὶ τὰς ἰδίας οὐσίας προσαναλίσκοντες διετέλουν.

2) Andr. § 67., plerique codices pluralem numerum μετέχουσι — ὑφαιροῦνται et καρποῦνται habent, cod. S tamen recte singularem in ὑφαιρεῖται et καρποῦται servavit, unde Dindorfius μέτεχει quoque emendavit, cf. Cobetum. l. l. p. 531 seq.

Sed etiamsi haec quidem suspicio incertior videatur, valde tamen miror, neminem hucusque orationi finem deesse suspicatum esse; quod tam verisimile mihi videtur, ut lubens argumenta, quae ad hanc opinionem refellendam afferri poterunt, exspectem.

THESES.

I.

Causa ducum, Timothei Iphicratis et Menesthei, dicta est Ol. 106. 1 (35^{6}_{7} a. C.).

II.

Orationi in Androtionem finis deest.

III.

Androtion absolutus fuit.

IV.

Dem. de Cor. § 285: *ταὐτὰ, ἃ καὶ σὺ νυνί.* Legendum est *ἅπερ.*

V.

Dem. in Tim. § 108: *καὶ πάλιν ὑμᾶς ἐδίδαξα, ὅτι τούτων οὐδ' ὁτιοῦν ἐποίησεν οὗτος.*

ΠάλΙΝ in πάλΑΙ mutandum est.

VI.

In Luc. Somnio 12: *ταῦτα διαπταίουσα καὶ βαρβαρίζουσα πάντοθεν εἶπεν ἡ τέχνη.*

Scripsit Lucianus *βατταρίζουσα.*

VII.

Plato. Prot. c. VIII. p. 316. B. *Πότερον μόνῳ βουλόμενοι διαλεχθῆναι ἢ καὶ μετὰ τῶν ἄλλων.*

Ante *μόνῳ* excidit *μόνοι.*

VIII.

Id. ib. p. 317. B. *ὁμολογῶ τε σοφιστὴς εἶναι καὶ παιδεύειν ἀνθρώπους καὶ εὐλάβειαν ταύτην οἶμαι βελτίω ἐκείνης εἶναι [τὸ ὁμολογεῖν μᾶλλον ἢ ἔξαρνον εἶναι].*

Quae uncis inclusi, delenda sunt.

IX.

Soph. El. 1341.

ἤγγειλας, ὡς ἔοικεν, ὡς τεθνηκότα.

Legendum est

ἤγγειλας, ὡς ἔοικέ, μ' ὡς τεθνηκότα.

Eur. Phoen. 165:

περὶ δ' ὠλένας
δέρᾳ φιλτάτᾳ βάλοιμι χρόνῳ
φυγάδα μέλεον.

Legendum est:

περὶ δ' ὠλέναις
δέραν φιλτάταν βάλοιμι χρόνῳ
φυγάδα μέλεον.

XI.

Id. ib. 306:

ἀμφίβαλλε μα-
στὸν ὠλέναισι ματέρος
παρηίδων τ' ὄρεγμα βο-
στρύχων τε κυανόχρωτα χαί-
τας πλόκαμον, σκιάζων δέραν ἐμάν.

Verba sic constituenda videntur:

ἀμφίβαλλε μα-
στὸν ὠλέναισι ματέρος
παρηίδων τ' ὄρεγμα βο-
στρύχων κυανόχρωτι χρίμ-
πτε πλοκάμῳ, σκιάζων δέραν.

XII.

Id. Hel. 1590

καί τις, τόδ' εἶπε· δόλιος ἡ ναυκληρία
πάλιν πλέωμεν Ναξίαν· κέλευε σύ.

Lege *δεξίαν κέλευε σύ.*

XIII.

Id. Cycl. 586

ναὶ μὰ Δί', ὃν ἁρπάζω γ' ἐγὼ 'κ τοῦ Δαρδάνου.

Emenda: *τοῦδ' Ὀρθάνου.*

XIV.

Cic. ad. Fam. IV. 7 § 2: ego eum te esse qui horum malorum initia multo ante videris, consulatum magnificentissime et optime gesseris, praeclare memini.

Verum est: quum consulatum . . . gereres.

XV.

Cic. ad Fam. X. 6. § 1: aut positis armis pacem petere debent, aut si pugnantes eam postulant victoria [pax] non pactione parienda est.

Delendum est: *pax*.

XVI.

Cic. ad Att. V. 3. § 1: quid de iis cogites *et quando*, scire velim.

Aliquando scripsit Cicero.

XVII.

Verg. Aen. I. 381.

Bis *denis* Phrygum conscendi navibus aequor.

Bis *senis* scripsit poeta.

XVIII.

Id ib. II. 230.

et scelus expendisse merentem
Laocoonta *ferunt*.

E Codice Daventriensi recipiendum est *fremunt*.

XIX.

Id ib. VII. 533

Haesit enim sub gutture vulnus et *udae*
vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.

Pro inepto *udae* Peerlkampii praeclara emendatio *una* reponatur.

XX.

Gell. N. A. V. 12. 12. Quapropter eum deum plerumque Apollinem esse dixerunt; immolaturque ritu *humano* capra.

Legatur: ritu *Romano*.

XXI.

In Claudii Namatiani de reditu suo I. 533. scribendum: Mira loci facies, pelago *pulsatur* aperto; non: *pulsantur*.

XXII.

Pedarii jus sententiae dicendae in senatu habebant.

XXIII.

Magister equitum imperium habebat.

XXIV.

Jus auspicandi tribunis plebis datum est a. 339 a. C. fere.

XV.

Linguae Sanscriticae studium iis, qui litteris classicis operam dant, lege praescribendum fuerat.